UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

LXXII. An idem doceatur ex Prophetiis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Visual Library

AD III. Iam liquet eoſdem fuiſſe typos etiam Cœnæ ſeu Euchariſtiæ: teſtibus S. Patribus.

QVÆSTIO LXXIII.

An Miſſa Sacrificium eſſe doceatur ex PROPHETIS?

LVTHERO-CALVINISTÆ pertendunt Vaticinia impleta eſſe in Sacrificio Crucis: Deinde pleraque intelligenda de ſpiritali Sacrificio bonorum operum ad laudem Dei.

SVADENT iſtis de Malachia. 1. *Malach. non dicit, Sacrificulum debere mimicis geſtibus in pane & vino repræſentare paſſionem Chriſti.* 2. *Malach. dicit in genere futurum Sacrificium mundum: non explicat, quale. At in Nouo Teſtamento ſunt ſolum ſpiritalia.* Huc citant S. Patres.

AVTOR. Prophetiæ ſunt de Sacrificio S. Cœnæ propriè dicto; non de improprio Spiritali. 1. Malach. 1. *Offertis ſuper altare meum panem pollutum, cæcũ, claudum, &c.* At verò; *In omni loco Sacrificatur, & Offertur Nomini meo Oblatio munda*; ſcil. Corpus & Sanguis Chriſti: quod immundum eſſe nunquam poteſt: Eſtq; Noua oblatio: At Caluino *Inſt. l. 4. c. 12 §. 4. & c. 15. § 3.* ſunt *ſordes, inquinamenta:* Lutheranis, etiam peccata: Nec ea noua ſunt, cùm in lege & Naturæ, & Moſaica fuerint frequentata. Itaque confertur ibi figuratum Sacrificium cum figurato.

AD SVASIONES liquet ex hiſce refutatio: quæ Patribus vtuntur falſariè.

Cætera documenta ex Prophetiis, ex Prædictione Chriſti, *Ioann 4.* ex Inſtitutione Cœnæ, ex Vſu Apoſtolorum, Vide in meo *Antichriſto p. 3. q. 27.*

QVÆSTIO LXXIV.

An Miſſam eſſe propriè dictum Sacrificium doceatur ex Antiquitatibus Eccleſiaſticis?

LVTHERANI & CALVINISTÆ eleuare ſtudent ac eludere Varias Antiquitates Eccleſiaſticas, Sacrificii Incruenti teſtes, duplice præſertim commento vano: *Aut* eſſe teſtimonia Sacramenti Euchariſtiæ; non Sacrificii Miſſæ; *Aut* monumenta Vnici Cruenti Sacrificii in Cruce.

I. LVTHERVS de capt. Bab. c. 1 timidè ait; Patres FORSAN vocant Sacrificium Orationes ad Cœnam fieri ſolitas; &c. *Si nihil habetur, quod dicatur; tutius eſt omnia negare, quam Miſſam eſſe Sacrificium concedere.* Lib. de abroganda Miſſa. *Profiteor aduerſus clamantes, quod contra Ritum Eccleſiæ & Statuta Patrum docuerim; nihil horum me auditurum.* Lib. cont. a Regem Angliæ. *Dicta Patrum inducit Rex pro Miſſario Sacrificio, & videt meam ſtultitiam, quòd ſolum verbum ſtatuo præ omnibus. Hoc eſt quod dixi; Thomiſtices aſinos habere nihil, quod producant, niſi Multitudinem hominum, & Vſum Antiquum.* Ibid. ait ſe nil curare, ſi mille Auguſtini, mille Cypriani contra ſe ſtent. Lib. de Miſſa priuata. *Hic non moramur, ſi clament Eccleſia Eccleſia, Patres, Patres: Quia hominum dicta & facta nihil in tam magnis cauſis curamus. Scimus enim ipſos Prophetas lapſos eſſe, adeoq; Apoſtolos. Verbo Chriſti iudicamus Eccleſiam, Apoſtolos, adeoq; ipſos Angelos.*

CALVINVS *Inſt. l. 4. c. 18. §. 10.* Initio, ait; Sacramentũ Euchariſtiæ Patres vocant Sacrificium quia eſt memoriale Sacrificii Crucis. Ita & Kemnit. 2 *Quia Veteres video aliò hanc Memoriam detorſiſſe, quàm Inſtitutioni Domini conueniebat (quod repetitæ Immolationis faciem præ ſe ferebat:) nihil tutius, quam in ſimplice Dei ordinatione acquieſcere.* Et §. 12. *Certè ſi cogitamus, Domini, non hominum Cœnam eſſe, non eſt cur vllâ hominum autoritate, vel annorum præſcriptione patiamur nos abinde dimoueri.*

II. KEMNITIVS par. 2. Exam. pag. 781. *Negari non poteſt, Veteres, quando loquuntur de celebratione Cœnæ, vſurpare vocabula Sacrificij, Immolationis, Oblationis, Hoſtiæ, Victimæ, &c.* Vt tamen eludat, quatuor fingit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN